

ne conventus aliquis plures religiosos habeat, quam quos ex certis redditibus et consuetis eleemosynis sustentare commode potest, ut constat ex decretis in tom. IV bullarii, in bullis Urbani VIII. Imo in supradictis decretis de celebratione missarum, dubio septimo determinavit sacra congregatio cardinalium, quod ecclesiæ et loca pia, seu illorum administratores nullam portionem ex eleemosynis missarum retinere possint ratione expensarum quas subeunt in missarum celebrationibus, scilicet in vino, candelis, etc. nisi cum ecclesiæ aut loca pia non habent rodditus; quos in usu earumdem expensarum erogare licite possint; et tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debet excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum sacrificio necessario sunt subeundæ. Et nihilominus eo etiam casu curandum est, ut ex pecuniis quæ supersunt (expensis ut supra deductis) tot missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas. Ita sacra

congregatio, cujus decisio magnum pondus in hac parte facit, ne de facili ratione necessitatis sacerdotum missarum numerus minuat, sed semper tot dicantur, quot fuerint præscriptæ; cum etiam in casu quo ecclesia non possit expensas pro celebratione missarum aliunde habere (quod utique maximæ necessitatis est) permittatur ex eisdem eleemosynis eas deducere quoad id, quod necessarium est, dicendo alias quæ ex residuo computandæ sunt. Quomodo ergo pro sustentatione sacerdotum permitti potest quod numerus missarum minuat, præsertim cum multoties non pro ipsa præcise necessitate, sed etiam pro aliis non multum necessariis expensis istæ eleemosynæ extrahantur. Sed tamen quia necessitas caret lege, pro extrema vel gravi necessitate non audeo reprobare hunc styllum, si moderate id fiat: eo vero modo, quo passim a multis fit, omnino reprobandum est.

*Hæc sufficiant de hac materia.*

## QUÆSTIO LXXXIV.

### DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

I. Ordinem D. Thomæ in sacramentis explicandis, et ordinanda hac materia de sacramento pœnitentiæ, non est necesse hic a nobis explicari, cum exacte sit traditum in tom. primæ partis, tractatu de connectione omnium partium theologiæ: sufficit in præsentem solum advertere, quod D. Thomas acturus de sacramento pœnitentiæ, ad duo respexit; ad pœnitentiam scilicet ut sacramentum, et ad pœnitentiam virtutem, sine cujus actibus sacramentum ipsum non sit. Et quidem pœnitentia, quæ est sacramentum, explicatur quantum ad essentiam, substantiam et quidditatem in communi sumpta, in hac quæstione LXXXIV. Ejus vero partes, ex quibus integratur et constat materia sacramenti, incipit tractare quæstione xc. Nec ultra progressus est morte præventus. Pœnitentiam vero virtutem, ejusque effectus tractavit per quinque quæstiones, a quæstione scilicet LXXXV, usque ad xc exclusive.

II. In hac ergo quæstione LXXXIV, in qua agit de sacramento pœnitentiæ secundum se, tria præcipue tractat D. Thomas. Primo, id quod pertinet ad essentiam hujus sacramenti, tribus prioribus articulis; nempe ostendendo articulo primo quod sit sacramentum: deinde, quæ

sit ejus materia, et quæ forma articulo secundo et tertio. Et quia nonnulli putabant requiri ad constitutionem hujus sacramenti manuum impositionem quæ fit a ministro, removit hoc D. Thomas, tamquam ad essentiam hujus sacramenti nullatenus requisitum. Secundo loco considerat necessitatem hujus sacramenti ad salutem, non absolute, sed ex suppositione peccati post baptismum commissi, ratione cujus dicitur convenienter secunda tabula post naufragium: indeque dependet scire quem locum habeat pœnitentia inter reliqua sacramenta, nempe post baptismum, confirmationem et eucharistiam. Et de his agit duobus articulis, scilicet quinto et sexto. Tandem tertio loco considerat accidentia quædam hujus sacramenti per reliquos articulos, nempe institutionem ejus quando facta fuerit. Secundo, durationem illius, quod scilicet durare debet per totam vitam, quantum ad interiorem dolorem, et abominationem peccati; non quantum ad exteriorem confessionem et satisfactionem: tertio continuitatem ejus; debet enim continuari pœnitentia, si non actu, saltem in habitu: quarto, iterationem ejus, quia constat posse hominem pluries pœnitentiæ sacramentum repetere.

## DISPUTATIO XXXIII.

DE ESSENTIA, NECESSITATE ET INSTITUTIONE HUIUS SACRAMENTI.

## ARTICULUS I.

*Utrum sit de fide, dari sacramentum poenitentiae distinctum a reliquis sacramentis?*

I. Negaverunt hoc hæretici antiqui; negant et recentiores novatores ex diversis principiis. Ex antiquis Novatianus affirmavit post baptismum nullam lapsis dandam poenitentiam, nec pro eorum reparatione dari aliquod sacramentum. Alii autem hæretici apud S. Augustinum libro de poenitentia, affirmarunt esse quidem utilem poenitentiam post baptismum, sed non posse dari nisi semel. Vere non agnoscebant sacramentum poenitentiae, quale nunc habemus, cum multoties iteretur. At vero hæretici nostri temporis, non ex difficultate veniæ in lapsis post baptismum negant sacramentum poenitentiae, sed ex nimia facilitate, quia non putant esse necessariam peccatorum confessionem ad eorum remissionem; sed solam fidem sufficere affirmant, qua quis credit sibi peccata esse remissa. Vere asserunt poenitentiam solum ea ratione esse sacramentum, quatenus baptismus in memoriam revocatus cum fide remissionis peccatorum, sufficit ad peccata delenda.

II. Certa nihilominus et de fide est nostra conclusio, scilicet, dari unum ex septem sacramentis a reliquis distinctum, quod poenitentia appellatur. Quæ conclusio, quan-

tum ad catholicos, facilis probationis est, cum sit definita in Concilio Tridentino sess. VII, canone primo de sacramentis in genere; et sess. XIV, canone primo. Et in Concilio Florentino in decreto pro Armenis, et capite Ad abolendam, de hæreticis. Quoad hæreticos autem, qui definitiones istas non admittunt, neque traditiones Ecclesiae, sed nudum verbum Dei, difficilius probationis est. Potest tamen probari quoad duo. Primo, quoad hoc, quod poenitentia est pro lapsis post baptismum; quod proponitur in Scriptura contra Novatianos. Secundo, quod aliquid distinctum a baptismo ponitur pro poenitentia, et ritus distinctus ac cæremonia ad conferendam gratiam, et remittenda peccata, contra hujus temporis novatores.

III. Primum quidem, ex variis locis Scripturæ, quibus et baptizatis datur poenitentia, et ad eam exhortantur: nam Actuum VIII dixit Petrus ad Simonem magum, qui (ut ibi dicitur) jam crediderat, et baptizatus erat: *Poenitentiam age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*: item Act. XIX: *Multi credentium veniebant, confitentes et annuntiantes actus suos*: et I Corinth. V Paulus tradidit fornicarium Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus esset in die Domini, cui postea pepercit et indulgit. Et II Cor. II: *Sufficit, inquit, illi qui hujusmodi est, objurgatio hæc quæ fit a pluribus: ita ut e contrario magis donetis, et consolemini*. Item I ad Corinth. XI dicit: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat*: quam probationem perpetuo in Ecclesia intellectam esse de poenitentia, quæ fit per sacramentum confessionis, decrevit Concilium Tridentinum sess. XIII, cap. VII. Similiter Apoc. III dicitur ad angelum Ecclesiae

Sardis: *In mente habe qualiter acciperis et audieris; et serva, et poenitentiam age*. Et tamen ille angelus, seu episcopus baptizatus erat, alioquin non esset episcopus Ecclesiae: ergo datur poenitentia post sacramentum baptismi.

IV. Secundum vero, scilicet, quod poenitentia quæ baptizatis datur in Ecclesia sit distincta a baptismo et ab ejus memoria probatur, non quidem ex eo quod tantum unus baptismus est, ut fides docet, hoc enim non negant hæretici, neque enim ipsi docent baptismum iterandum esse a peccantibus, postquam illud receperunt, sed dicunt baptismum illum memoria repetitum, non re, cum fide remissionis peccatorum, esse poenitentiam. Probandum est ergo esse diversum sacramentum, et in ritu, et in cæremonia exteriori, ex aliis Scripturæ locis. Probat ergo ex illo Joannis XX: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*: Matth. XVI: *Et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis*: et Matth. XVIII: *Amen dico vobis, quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata et in caelo, etc.* Ex quibus testimoniis fit argumentum: Remissio peccatorum promittitur et proponitur hic mediante potestate judiciali et clavibus, quibus peccata possunt retineri aut solvi; hoc autem non potest exerceri sola memoria baptismi, et fide remissionis, sed iudicio et manifestatione peccatorum facta sacerdotibus: nec potest exerceri supra non baptizatos, sed supra fideles: ergo poenitentia pro baptizatis est distinctus ritus a sacramento baptismi, et aliis. Major constat ex locis allatis Scripturæ. Minor probatur, quia memoria ba-

ptismi cum fide remissionis nihil importat de iudicio et potestate clavium, quæ possit solvere aut retinere: hoc enim fieri non potest nisi cum cognitione causæ, et jurisdictione iudicis legitimi, qui pro meritis causæ aut retineat, aut solvat: nemo autem in sua causa potest esse iudex, ut seipsum solvat aut retineat, vel seipsum condemnet: ergo non potest absolutio, aut retentio peccatorum consistere in sola memoria baptismi cum fide remissionis.

V. Confirmatur, quia in potestate clavium, et in Spiritu sancto Apostolis dato designatur actus, scilicet solvendi et retinendi peccata, non sua, sed aliorum. Dicit enim: *Quorum remiseritis, remittuntur: quorum retinueritis, retenta sunt. Quodcumque solveritis super terram, et quæcumque ligaveritis, etc.* ubi ly quorum et quæcumque, non propria, sed aliorum peccata designat. Licet autem per baptismum et alia sacramenta detur gratia et remissio peccatorum, tamen retentio non potest cadere nisi super peccata manifestata et dicta, alioquin indiscrete procederet sacerdos aut minister, si sine manifestatione culpæ illud retineret, et nollet impertiri remissionem, seu sacramentum ipsum remissivum impendere. Et multo minus potest ista retentio peccatorum alienorum fieri per memoriam baptismi, et per fidem remissionis, quia licet ista memoria teneat se ex parte ministri, sicut ex parte habentis potestatem clavium, vel ex parte ipsius peccatoris, non tamen perficit sacramentum: nam ex parte ministri memoria baptismi, neque sui, neque alterius, quidquam operatur erga alterum, magis quam memoria alterius sacramenti, vel alterius actus ad justificationem ordinati. Neque apparet quomodo per talem memoriam et

fidem de remissione peccatorum fieri potest retentio illorum, non exercendo actum aliquem jurisdictionis externæ circa ea peccata, quæ retinentur: ergo sola memoria baptismi cum fide resurrectionis Christi non potest instituere absolutionem istam, vel retentionem peccatorum, neque potestatem explicare in solvendo et ligando quæcumque ligari, vel solvi possunt super terram.

VI. Convenientia autem instituendi hoc sacramentum tamquam a reliquis distinctum, pro fidelibus baptizatis, deducitur ex duabus rationibus, quas proponit D. Thomas hic articulo primo, tum in argumento Sed contra, tum in corpore articuli. In argumento Sed contra ratio ad hanc formam reducitur: Non minus debuit provideri peccatis fidelium, ne post baptismum peccantes sine remedio manerent, et in desperationem inciderent, quam peccatis gentilium et infidelium, ut tolli possint per baptismum. Unde et Actuum VIII dicit Petrus Simoni jam baptizato: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua*. Si ergo pro infidelibus instituit Christus Dominus sacramentum remissivum peccatorum, tam originalis, quam actualis, quod est baptismus, convenientissimum etiam fuit pro lapsis post baptismum sacramentum aliud instituere, in quo peccata ipsa remitterentur. Quod vero hæc remissio fiat in baptizatis per novum ac distinctum sacramentum patet, quia sacramentum baptismi non potest iterari: ergo oportuit aliud sacramentum institui. Neque sufficit memoria baptismi, quia hæc est aliquid internum et invisibile; sacramentum autem visibile signum esse debet.

VII. Secunda congruentia est in corpore articuli, ad explicandam naturam hujus sacramenti, et for-

matur in hunc modum: Sacramentum consistit in aliqua significatione rei sacræ, sive ejus quod sancte accipiendum est; sed in pœnitentia significatur aliquod sanctum, tam ex parte pœnitentis, quam ex parte sacerdotis absolventis: ergo pœnitentia, quæ in Ecclesia agitur, est sacramentum. Minor probatur, quia actus pœnitentis, quibus dolorem suum significat, et peccatum suum confitetur, cor ejus significant a peccato recessisse: actus autem sacerdotis significant per id quod ipse agit et dicitur, Deum remittere peccata: ergo actus ex parte pœnitentis et sacerdotis absolventis aliquod sanctum significant, prout sanctum, seu prout sanctificans nos (scilicet remissionem peccatorum) et hoc est esse sacramentum.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

VIII. Objicies contra dicta, et primo contra rationem D. Thomæ, quæ inconvenienter probat ex significatione istorum actuum significationem sacramentalem: Nam quod actus pœnitentis ostendant pœnitentem habere dolorem, est ex sua naturali significatione; vel si id verbis significetur, erit ex institutione reipublicæ; significatio autem sacramentalis est ex peculiari institutione Christi ut auctoris gratiæ: ergo inconvenienter probat D. Thomas ex significatione actuum pœnitentis et absolventis rationem sacramenti, quia supponit quod est probandum. Unde enim constat has res sic significantes remissionem peccati esse ex Christi institutione; hoc enim negant hæretici, nempe quod sacerdotis absolutio requiratur ad significandam Dei acceptationem. Deinde instatur eadem ratio, quia probatio illa ap-

plicari potest cuicumque cæremoniæ, seu actioni quæ versatur circa rem sacram, quam significat, neque tamen inde probatur esse sacramentum: ergo neque hic. Major probatur, nam in sacrificiis, in decimis et primitiis solvendis, et in aliis pertinentibus ad Dei cultum, per actum externum ostendit homocultum et venerationem suam et animum erga Deum; et similiter in actu externo charitatis ostendit amorem suum erga Deum; et sacerdos acceptans decimas et primitias, et sacrificia offerens, ostendit ea placere Deo, ab eoque acceptari: ergo illæ actiones erunt sacramenta; consequentia autem non valet: ergo neque ea quam conficit D. Thomas.

IX. Secundo, objicies contra rationem, qua probamus ex sacra Scriptura contra hæreticos hanc veritatem: Quia vel ista probatio nititur solis testimoniis Scripturæ ad convincendos hæreticos, vel etiam intelligentia et traditionibus Ecclesiæ. Si hoc secundum, nihil convincimus contra hæreticos, quia isti non admittunt Ecclesiæ auctoritatem in his veritatibus tradendis: si primum, non convincunt testimonia Scripturæ, quia potestas illa clavium, solutio ac retentio, seu ligatio est communis ad absolutionem et retentionem censurarum et peccatorum: ergo non est de ratione constitutiva sacramenti. Antecedens est certum, cum potestas clavium etiam ad forum judiciale se extendat, et in illo ligare possit et solvere. Consequentia vero probatur, quia sacramentum petit specialem materiam et formam, ac significationem rei sacræ ut sanctificantis nos: ergo non potest tradi illis verbis speciale sacramentum, quibus generalis potestas traditur, non solum ad remissionem peccatorum, sed etiam ad causas exter-

nas et forenses, in quibus non potest sacramenti ratio consistere et tradi, quæ est potestas ad rem sacram prout sanctificantem nos.

X. Item illa verba: *Quorum remiseritis peccata, etc.* non explicant specialem formam, aut modum sacramenti, vel ejus materiam determinate, verbi gratia, confessionem, seu manifestationem peccatorum; hanc enim non expriment: poterunt ergo intelligi etiam illa de remissione et retentione pœnarum; ministrare et non ministrare sacramenta, quibus fiat remissio peccatorum, ut est baptismus, eucharistia, et reliqua: si enim hæc ministrantur, remittuntur peccata: si non ministrantur, sed suspenduntur, peccata non remittuntur, sed retinentur. Cum ergo hoc pertineat ad ministerium generale omnium sacramentorum, et sufficienter possint ita intelligi prædicta verba, non bene probamus loqui Scripturam in illo testimonio de speciali quodam sacramento quod in confessione et absolutione consistit. Itaque hæc est difficultas, unde probemus ibi loqui Christum de speciali sacramento, non de generali administratione aliorum sacramentorum et prædicationis evangelii, ex quibus excitetur fides in nobis. Et hoc urgent Calvinus et alii hæretici. Denique faciunt vim in hoc, quod baptismus operatur remissionem peccatorum excitando fidem: ergo et pœnitentiam. Ad hoc autem sufficit memoria baptismi suscepti, per hoc enim excitatur rursus in nobis fides remissiva peccatorum: ergo non requiritur speciale sacramentum.

XI. Respondetur ad primum, D. Thomam sine dubio loqui de significatione ex institutione Christi, cum expresse loquatur de pœnitentia, quæ in Ecclesia fit. Et in majori apponit illa verba: « Sacra-